

aliquoties currunt, magnaue cum molestia instant, sæpe non nisi mala verba, imo nonnunquam et verbera, vel minas loco mercedis reportant; donec tandem hujusmodi odiosis debitoribus solvere, bene commodum fuerit.

160. *Pariter, si ex dilata solutione lucrum cessans, vel damnum emergens venditori obveniat.* — Resp. IV. Si ob dilatam solutionem venditor lucrum cessans vel damnum emergens patiat, non passurus, si justum pretium statim fuisset solutum, licite potest juxta proportionem lucri, vel damni pretium augere. Ita doctores supra n. 141. citati. Probatque conclusio fundamentis juri et rationum ibidem allegatis; quia utrobique pariter militat: cum non apparet ratio, cur quis ob lucrum cessans, vel damnum emergens possit augere pretium, dum vendit pro præsentem et enumerata pecunia: et non dum vendit credito. Notandum tamen, quod sicut citata, ita, et hæc conclusio non nisi cum conditionibus ibidem apposis sit intelligenda. Cæteram ex dictis,

161. *Approbat praxis mercatorum ob dilatam solutionem carius vendentium: adjungitur etiam cautela.* — Colligitur, vix damnari posse illam mercatorum praxin, qua merces suas credito pluris, quam pro numerata pecunia vendunt, eo quod teste experientia plerumque et ordinarie loquendo, adsit vel periculum perdendi pretii, vel in eo obtinendo prævideatur lucrum cessans, aut damnum emergens, hoc ipso, quod mercatores cum præsentem pecunia continuo negociantur, et lucrum faciant, etc. Observent tamen mercatores, necesse est, ne indistincte apud quoscunque credito ementes, pretium æqualiter augeant, sed juxta proportionem periculi, aut molestiarum, quas in quovis prudenter prævident; uti communiter notant doctores, et merito, alias enim multi injuste gravarentur, cum in aliquibus vel nullum, in aliis modicum, et in quibusdam majus periculum aut molestiæ prudenter sint timendæ.

Causis diminuendi pretium annumeratur etiam pactum redimendi. Rota decis. 344. p. 4; tom. II. recent. et in una Romana præsentis simulationis contractus, 16. junii 1653 et apud Bichium decis. 648, n. 24.

162. *Causa minuendi pretium vel viliori pretio emendi dantur, et sunt primo lucrum cessans, vel damnum emergens.* — Quæritur III. Ob quas causas, vel circumstantias pretium rerum venalium minuere, easque minus pre-

tio infimo emere liceat? Resp. Sicut augendi, ita etiam minuendi pretium, plures dantur causæ, potissimum vero sequentes. I. causa est lucrum cessans, vel damnum emergens emptoris: ut si quis v. g. agrum, domum, equum, gemmam, etc. vel quid aliud sibi minus utile, in gratiam venditoris emit pecunia numerata, qua alias negotiari et lucrari, vel quid aliud sibi magis utile ac proficuum emere potuisset, et revera fecisset: vel si in re, quam emit, procuranda, vel conservanda debet expensas facere, potest juxta proportionem lucri cessantis, vel damni emergentis pretium minuere. Ita communis doctorum præsertim illi, quos n. 141 et 142. citavimus, ob fundamenta juris et rationis ibidem allegata.

163. *Secundo, copia mercium, et paucitas emptorum.* — II. Causa est copia mercium, et emptorum paucitas. Communissima, imo teste Navarro, *Manual. c. XXIII, n. 78*, omnes. Ratio est, quia quando adest abundantia mercium, et deficiunt emptores, hoc ipso jam merces vilescunt, et communiter minus aestimantur: ubi autem communis aestimatio minuitur, ipsum etiam minuitur pretium, arg. l. *Pretia rerum. ff. ad Leg. Falcid.* ut proin recte dixerit Tertul. lib. I. *de Habitu mulier.* «Semper abundantia in se ipsa contumeliosa est:» et Poeta: «Inopem me copia fecit.» Inde etiam fit; quod in fine nundinarum dilapsis jam emptoribus, merces in copia adhuc existentes minoris emantur.

164. *Tertio, si magna copia mercium simul ematur.* — III. Causa est, si magna mercium copia simul ematur. Layman. lib. III. tract. IV. c. xvii. n. 10; Lessius, lib. II. c. XXI. dub. 4. n. fin.; Frideric. n. 344, cum communi aliorum. Ratio est, quia communi consensu receptum habetur inter venditores et emptores, quod minus pretium detur et accipiatur, si merces simul et semel in magna copia, quam si singillatim ac successive emantur. Nec immerito, quia venditori aliunde fit aliqua recompensatio, dum tali simultanea copiosæ mercis emptione exoneratur multis curis, molestiis, et laboribus, quos alias in conservandis, vel singillatim vendendis mercibus sustinere debuisset: simulque habilior redditur ad comparandas alias recentes, et novas merces, quibus novum lucrum facere licet.

165. *Quarto, modus vendendi, ut si merces sub hasta, vel in foro scrutatorio venduntur.* — c. IV. Causa est modus vendendi; nam merces,

quæ sub hasta venduntur; vel in foro scrutatorio, minoris aestimari solent, quam quæ in propria officina quærantur, et rogantur. Simili ratione, ait Lessius, cap. XXI, dub. 6, n. 56, merces, quæ communiter data fide ad certum tempus vendi solent, ob talem vendendi modum, pluris venire possunt; tum quia talis venditio excitat copiam et fervorem emptorum, ex quo pretia augentur: tum quia plerumque mercatoribus incommodum est, tanto tempore solutionem expectare. Sed et e contrario, ait idem Lessius, dub. 7, n. 16. modus vendendi communiter solutione anticipata facit pretium decrescere, quia inducit raritatem emptorum, et multitudinem venditorum, quod etiam docet Molina, disp. 360.

166. *Merces ultroneæ vilescunt, quomodo intelligendum?* — Huc communiter reducunt doctores etiam illum modum, quo emptor rogatus a venditore, emit; eo quod juxta tritum illud, «merces ultroneæ vilescunt.» Ob quam causam, teste Navarro, loc. cit. communiter recepto, fit, quod idem pannus, vel idem liber, etc. plus valeat in taberna mercatoris, quam in manu proxenetæ quærentis emptorem: et longe minoris valeant spolia, quæ victor exercitus vendit statim a direptis hostium castris, quam alia ejusdem generis, quæ etiam a proxenetis deferuntur vendenda, bello jam finito.

167. Verum hæc doctrina cum grano salis, certaque cum limitatione est intelligenda; cum non absolute ac universaliter, sed tunc tantum verificetur, quando merces ultroneæ simul habent admixtam aliam qualitatem vel circumstantiam, vi cujus vilescunt: ut si v. g. adest abundantia mercium, aut paucitas emptorum; vel si merx emptori nullatenus, vel parum sit utilis; vel etiam onerosa, aut damnosa, et nihilominus eam in gratiam venditoris emat. Secus vero, si harum circumstantiarum nulla existat. Sicut enim ex hoc præcise, quod emptor ob privatam suam utilitatem vel necessitatem roget venditorem, ut rem aliquam eidem vendat, non potest eam pluris vendere venditor, prout cum divo Thoma, 2. 2, q. 77. a. 1; Scoto, in 4, dist. 15, n. 2, Navarro, *Manual. c. XXIII, n. 78 et 83*; Lessio, Laymano, ac communi aliorum, supra n. 147, jam diximus; ita etiam ex solo hoc capite, quod quis in necessitate forsitan constitutus, rem suam vendendam alteri ultroneæ offert, eumque, ut emat, rogat, minoris emi nequit. Lugo,

disp. 26, n. 91; Lessius, c. XXI, n. 34; Molina, disp. 5, in princ. et alii. Alias certo etiam rem sibi summe utilem minoris emere quis posset ab eo, qui paupertate pressus eam vendendam ultro offert, et ut ematur, rogat. Imo de facto vi hujus tituli ferme apud omnes mercatores res minoris emi possent; cum singuli merces suas vendendas offerant, et exponant, passimque prætereuntes, ut emant, invitent, et rogent. Invaluit autem tritum illud, «merces ultroneæ vilescunt,» exinde, quod ordinarie una ex recensitis circumstantiis pretium minuentibus, sit conjuncta.

168. *Merces apud mercatores plus valent, quam apud proxenetas: et quare?* — Illud tamen, quod Navarrus cum communi docet, negandum non est, merces, quæ a proxenetis, vel aliis vendendæ circumferuntur, minoris valere, quam in officina publica, non ideo, quia ultroneæ, offeruntur, sed quia mercatoribus, et quibusvis mercibus honestum lucrum, utpote unicum ipsorum sustentationis remedium conceditur, ob labores et curas, quas vi officii sui in conquirendis et conservandis pro hono communi mercibus jugiter habent, prout cum Lugo, disp. 26. n. 88; Lessio, et Medina communiter tradunt doctores ipsaque probat consuetudo ubique recepta, vi cujus mercatores, et alij vi officii vendentes, ordinarie merces pluris vendunt, quam alii.

169. *Ob solam anticipatam solutionem, nulla alia minuendi pretium circumstantia existente, non est licitum, rem minus justo emere.* — Quæritur IV. An liceat minoris emere, ob anticipatam solutionem? Resp. I. Si ob anticipatam solutionem emptor patiat lucrum cessans, vel damnum emergens, aut incurrat periculum, ne loco justæ mercis, suo tempore tradantur defectuosæ, vel alias fraus eidem aut dolus inferatur, potest rem minoris emere. Certa et unanimis per ea, quæ supra n. 149, et seqq. de dilata solutione diximus.

170. Resp. II. Si nulla ex recensitis aut similibus circumstantiis, rerum pretium minuentibus adsit, illicitum ac injustum est, ex solo anticipatæ solutionis titulo rem minoris emere. Ita teste Frideric, h. t. n. 356, omnes doctores ob fundamenta, quibus supra n. 149, probavimus injustum esse, ob dilatam solutionem rem pluris vendere; quia ob paritatem rationis in utroque implicita continetur usura, arg. c. *Consuluit. 10. de Usur.*

171. *Solvitur objectio.* — Nec dicas hoc esse contra receptam praxim plurimum provinciarum, ut Belgii, ubi teste Castro Palao, loc. cit. punct. 13, lanæ anticipata solutione plerumque minoris emuntur, ac est currens pretium: item aliarum provinciarum, ubi fructus agrorum, pratorum, vinearum, etc. ordinarie minoris emuntur, si solutio anticipatur. Respondetur enim hoc fieri non præcise ob anticipatam solutionem, sed quia ordinarie concurrens una ex circumstantiis pretium minuentibus sæpe jam adjectis.

§ VII.

DE VENDITIONE RERUM VITIO LABORANTIUM: UBI ETIAM DE DOLIS, ET FRAUDIBUS, QUÆ IN EMPTIONE VENDITIONE COMMITTUNTUR.

172. *Vitia seu defectus mercium quadruplicia, in substantia nempe, quantitate, qualitate, et mixtura.* — Queritur I. An, et quales teneatur venditor detegere defectus vel vitia mercis? Notandum prius quadruplicem dari posse in rebus ob defectum, vel vitium. Primo in substantia; ut si vendatur vitrum pro gemma, aurichalcum pro auro, etc. Secundo in quantitate, puta in mensura, numero, pondere, etc. Tertio in qualitate, ut quando datur ovis morbosa pro sana, pannum adustum, ligna vitiosa, etc. Huc pro quarto reducuntur mercies aliena materia adulteratas, vel deterioratas, ut vinum aqua mixtum, frumentum paleis, aliisque seminibus involutum, ceram pice permixtam, etc. Interque quæ vitia, alia manifeste patent, alia latent vel utrumque, vel saltem emptorem. His prænotatis,

173. *Quando emptor de certo vitio interrogat, tenetur illud manifestare venditor, nisi cognoscat, emptorem nihilominus eodem empturam pretio.* — Resp. I. Si emptor de quibusdam vitiis expresse interrogat, tenetur illa manifestare venditor. Molina, loc. cit. n. 26; Lugo, disp. 26, n. 133, conclusionem nostram ponens pro regula generali. Ratio est, tum quia si venditor expresse interrogatus, fraudulenter negat, vel dolosa æquivocatione celat vitium, censetur dolus dare causam contractui. Hujusmodi autem contractus illicitus ac invalidus, vel saltem ut iniquus invalidandus est, arg. c. xv et xvi. de Rescript. vi quorum fraus, et dolus nulli patrocinari debent. Advertunt nihilominus citati doctores quod, si venditor verisimiliter

judicat, emptorem etiam manifestato vitio rem vitiosam eodem pretio empturam, consequenter dolum non esse causam contractus, negando vitium, non nisi veniali mendacio peccet, contractu de reliquo, et valide et licito remanente.

174. *Vitium vel defectus manifeste patens, necessario non est indicandus.* — Resp. II. Si vitium aliquod, vel defectus quicumque tandem manifeste cuivis patet, regulariter loquendo non tenetur illum manifestare venditor, vel desuper monere emptorem. Divus Thomas, 2. 2, q. 77, a. 2, ad 3; Molina, disp. 353, n. 17; Navarrus, in *Manual.*, cap. xxvii, n. 29; Castro Palao, loc. cit. punct. 22, n. 6; Layman, loc. cit. § 2; n. 14, et communis aliorum: textu expresso. I. *Ea quæ.* 43. ff. de *Contrah. empt.* et l. 1. ff. de *Ædilit. edict.* Ratio est, quia ubi res ipsa loquitur, non est opus voce venditoris.

175. *Nisi forsitan venditor cognosceret vitium patens ab emptore ex ignorantia, vel negligentia non observari.* — Dicitur notanter, «regulariter loquendo;» quia limitatur conclusio in casu, quo circumstantiis venditor bene advertit emptorem tam rudem, ac imperitum esse, ut vitium per se patens non agnoscat; uti communissime advertunt doctores, signanter Molina, loc. cit.; Palao, loc. cit. n. 7; Layman, loc. cit.; Petrus Navarrus, de *Restitut.* cap. ii, dubit. 7, n. 54. Ratio est, quia respectu talis, vitium revera censetur occultum. Idem dicendum, si emptor ex negligentia, vel inadvertentia vitium non observare dignoscitur, uti contra Frideric, n. 525. Toletum, Vega, Salas et alios recte docet Abbas, in c. *Injustum. de Rerum permut.* n. 4; Sylvester, §. *Emptio.* n. 20; Medina, de *Restitut.* q. 34; Castro Palao, loc. cit. et alii. Rationem assignat Abbas; quia quamvis in hoc sit aliqua culpa penes emptorem, nihilominus venditor hoc advertens, committit dolum, si emptorem non monet. Dolus autem præponderat culpæ, *Glossa. l. Item si obstetriciæ. §. Tenebitur. ff. ad Leg. Aquil.* Accedit, quod etiam respectu talis saltem hic et nunc vere dicatur vitium occultum.

176. *Vitium seu defectus circa substantiam ordinarie manifestari debet.* — Resp. III. Si vitium seu defectus est occultus, et versatur circa substantiam; omnino manifestari debet, ita ut, si taceatur, contractum non tantum illicitum, sed et irritum, ac invalidum reddat. Omnes. Ratio est, quia ubi est error defectus in substantia, deest consensus, qu-

§ VII. DE VENDITIONE RERUM VITIO LABORANTIUM, ETC.

est de substantia emptionis venditionis, textu claro l. *In venditionibus. ff. de Contrah. empt.* juncta l. II. et XI. c. eod. prout amplius diximus supra n. 41.

177. *Ponitur limitatio.* — Limitant conclusionem aliqui, in casu, quo una res pro alia, substantialiter diversa tradita, æque, vel saltem æque bona, utilis et conducens est ad usum et finem ementis, ac illa quæ petitur et intenditur, Sanchez, lib. VII. de *Matrim.* disp. 18, n. 42; Lugo, disp. 26, n. 124; Salas, de *Empt.* dub. 33, n. 1, Graffii, Lopez, et alii. Rationem dant, quia quamvis etiam in tali casu physice loquendo, una res ab alia quoad substantiam sit diversa; tamen juxta moralem considerationem et æstimationem (per quam rerum pretia statuuntur) censetur esse idem, consequenter etiam adesse consensus, vel certe non nisi irrationabiliter abesse. Ex quo colligunt licite et valide dari posse unum medicamentum a petito substantialiter diversum, quando certo constat, hoc æque utile esse pro fine ementis ac illud. Idem dicendum in aliis mercibus, præsertim quando emptore rem non intelligente, venditor certo scit, quod res substantialiter alia eidem ad usum et finem intentum magis serviat quam petita.

178. *Vitia circa qualitatem, causantia emptori vel tertio damnum, vel reddentia merces inutiles ad finem ementis, manifestare tenetur venditor.* — Resp. IV. Si vitia occulta versantur circa qualitatem, et sunt talia, ut ad usum, vel finem ab emptore intentum, vel omnino, vel parum sint utilia, vel etiam si sint eidem, vel tertio nociva, gravissime obligatur venditor illa manifestare, etiamsi de iis non interrogetur. Ita teste Castro Palao, loc. cit. n. 8. omnes doctores arg. l. I. § *Proinde. ff. de Ædilit. edicto.* ibi: «Proinde, si quid tale fuerit vitii, sive morbi, quod usum ministeriumque impediatur, id dabit redditioni locum.» Concordant leges ibidem sequentes. Ratio est, quia in hujusmodi emptoribus dolus revera dat causam contractui, deest verus emptoris consensus, quo deficiente deficit contractus ipse, l. *In venditionibus. ff. de Contrah. empt.*

179. *Procedit conclusio etiam in casu, quo emptor, non ad specialem usum pro se, sed ut iterum vendat alteri, emit.* Castro Palao, loc. cit., n. 9; Navarrus, in *Manual.* c. xxiii, n. 89; Petrus Navarrus, de *Restitut.* cap. ii, dubit. 7, et communissima aliorum. arg. cit. l. I. § *Proinde. ff. de Ædilit. edicto.* Ratio

est, quia in hoc quoque deest consensus ementis, utpote qui non nisi merces, sibi, aut illis, quibus revenditurus est, utiles, ac proficuas emere intendit; consequenter si merces revendenda aliis emptoribus, ob vitium, quo laborant, inutiles sunt, vel parum utiles, consensus eas emendi adesse non censetur.

180. *Secus est, si merces vitii qualitatis affecta, sint æque, aut ferme æque utiles ad usum et intentum ementis.* — Resp. V. Si occulta circa qualitatem versantia rerum vitia sint modica, vel talia, quod iis non obstantibus res ad usum, et finem ab emptore intentum æque vel fere æque sint utiles, ac si vitia abessent, non tenetur illa manifestare venditor. Divus Thomas, *Quodlib.* 2. a. 40; Molina, loc. cit.; Layman, loc. cit., n. 49, cum communi aliorum, arg. cit. l. I. § *Proinde. ff. de Ædilit. edict.* ibi: «Non utique quodlibet quam levissimum efficere, ut morbosus, vitiosusve habetur. Proinde levis febriçula, aut vetus quartana, quæ tamen jam sperni potest, vel vulausculum modicum, nullum habet in se delictum; contemni enim hæc potuerunt.» Concordant legistæ immediate sequentes. Ratio est, tum quia communi ementium et vendentium consensu, modica hujusmodi vitia licite abscondi possunt: tum quia alias mercatores magnum fortunæ discrimen subire deberent; «cum forte emptores,» uti ait divus Thomas, loc. cit. «propter vitium hujusmodi velent plus subtrahi de pretio, quam esset subtrahendum,» vel, sæpe non emerent, mercibus apud mercatores sine lucro remanentibus, vel cum damno eorumdem pereantibus.

181. *Vitium in quantitate quoque manifestare debet venditor.* — Resp. VI. Si vitium occultum est in quantitate, puta in pondere, mensura, etc. ut si putat emptor, pannum v. g. novem ulnarum continere decem ulnas, tenetur venditor illud vel manifestare, vel juxta proportionem defectus, pretium minuere. Communis et certa; quia alias aperta committeretur fraus, et injustitia; nec servaretur æqualitas a justitia commutativa requisita, fieretque contra illud Pauli I. *ad Thess.* iv. 6. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Concordant textus supra n. 131. citati.

182. *Nisi pretium legitimum, vel vulgare esset injustum.* — Limitant tamen conclusionem doctores communiter præsertim Moli-